quidditative cognoscere connaturaliter, etiamsi sit in eodem ordine naturali cum Angelo: ergo idem distinctus ordo nil facit ad Deum: sicut ergo anima rationalis ut juncta corpori ideo praecise non potest connaturaliter quidditative cognoscere angelum; quia non est in eodem gradu immaterialitatis cum angelo: sic pariter diversus ordo nil faceret in substantia creata, sed potius diversitas in gradu immaterialitatis, quod non possit connaturaliter Deum quidditative cognoscere.

201. Arg. 3. Quod est proprium et connaturale soli Deo, non potest creaturae communicari: sed connaturaliter videre Deum quidditative et prout est in se, est proprium et connaturale soli Deo: ergo non potest competere creaturae. Maior patet. Licet enim quod proprium uni est et connaturale connaturalitate intrinseca possit etiam communicari per elevationem alteri, et sic illi esse connaturale connaturalitate extrinseca per virtutem supervenientem, non tamen potest illi esse connaturale connaturalitate intrinseca et essentiali: sicut cuicunque agenti connaturaliter est agere per formam propriam, sic ignis agit per formam ignis, homo per formam humanam, et quia Deus videtur per suam essentiam, et cognoscit per se ipsum tanquam formam intelligendi absque aliquo superveniente: ergo videre Deum ut in seipso nemini est connaturale connaturalitate intrinseca nisi soli Deo. Et sic minor probatum manet, quod modus cognoscendi sequitur modum essendi.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
https://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII65/0154
gefördert durch Baden-Württemberg